aurato gestāt sacerdotes multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus.
Sequuntur matrone virginesque patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo
propitiari Iovem credunt, ut certum edat oraculum. ac cum quidem regem adeuntem
maximus natu e sacerdotibus filium appellat. hoc nomen illi parentem Iovem reddere affirmans.
ille se vero ait et accipere et agnoscere humane sortis oblitus. Consulit deinde
an totius orbis imperium fatis sibi destinaret pater. eque in adulationem compositus terrarum
omnium rectorem fore ostendit. post hec institit querere an omnes parentis sui interfectores
penas dedissent. Sacerdos parentis eius interfectorem negat ullius scelere posse violari.
Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia. adiecit invictum fore donec excederet
ad deos. Sacrificio deinde facto dona et sacerdotibus et deo data sunt: permissumque
amicis et ipsi quoque consulerent Iovem. Nichil amplius quesiverunt quam an auctor esset sibi
divinis honoribus colendi suum regem. hoc quoque acceptum fore Iovi vates respondent:
vero ipsi victorem regem divino honore colerent. vera et salubri extimatione fidem
oraculi vanam profecto risa videri potuissent. Sed fortuna quos uni sibi credere
coegit magna ex parte avidos glorie: magis quam capaces facit. Iovis igitur filium se non
solum appellari passus est: sed etiam iussit. rerumque gestarum famam dum augere vult: tali
appellatione corrumpit. et macedones assueti quidem regio imperio: sed in maiore libertatis
umbra: quam cetere gentes immortalitatem affectantes contumacius quam aut ipsis
expediebat: aut regi aversati sunt. Sed hec suo quoque tempori reservemus. Nunc cetera
exequi pergam. Alexander ab hammone rediens: ut mareoti paludem haud procul insula
pharo sitam venit contemplatus loci naturam: primum in ipsa insula statuerat urbem novam
condere: inde ut apparuit magne sedis insulam haud capacem esse elegit urbi locum:
ubi nunc est alexandria appellationem trahens ex nomine auctoris. complexus quicquid soli est
inter paludem: ac mare octoginta stadiorum muris ambitum destinat: et qui edificande
urbi preessent relictis memphim petit. Cupido haud iniusta quidem ceterum
intempestiva incesserat non interiora modo egypti: sed etiam etiopiam invisere. ammonis et
tonisque celebrata regia cognoscende vetustatis avidum trahebat pene extra terminos
solis. Sed imminens bellum: cuius multo maior supererat moles otiose peregrinationi
tempora exemerat. itaque egypto prefecit esculum rhodium: et peucesten macedonem
iiii milibus militum in presidium eius regionis datis. Claustra nili fluminis polimonem tueri
iubet xxx ad hoc triremes date. Africe deinde: que egypto iuncta est prepositus apolonius
vectigalibus eiusdem africe egyptique cleomenes. et finitimis urbibus commigrare
alexandriam iussis novam urbem magna multitudine implevit. Fama
est cum rex urbis future muris polentam et macedonum more destinasset
avium greges advolasse et polenta esse pastas. Cumque id omen pro tristi a
plerisque esset acceptum vidisse vates magna illa urbem advenarum frequentia
culturam: multisque eam terris alimenta prebituram. Regem cum secundo amne
defluentem assequi cupiens hector parmenionis filius eximio etatis flore in paucis
alexandri carus parvum navigium conscendit pluribus quam capere posset impositis. itaque

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_914/0039
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG